



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Apvd S. Macram. Synodvs Qvae Fvit Acta Apvd sanctam
Macram, in loco qui dicitur Finibus Rhemensis parochiae, tempore
Ludouici regis, filii Ludouici Caroli filii, die IV. Nonas Apriles, anno ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
881.

nes papa hac de causa se Neapolim contulit: sed frustra. Quare dum in Urbem rediisset, hac Synodo ibidem congregata, anathematis sententiam in eum tulit, eamque per epistolam circularem 270. episcopis circumpositis omnibus insinuauit. Cumque excommunicatus Athanasius pro absolutione non semel institisset, pontifex ab eo sapius delusus nullam ipsi fidem adhibendam esse putauit, nisi primum Sarcenis ab ipso necatis vel captis, poenitentiae certa signa edidisset. Quod ut illi constaret, Marinum episcopum cum epistola 294. ad eundem Athanasium scripta huius rei causa ablegauit. Vide Baronium anno 881. numero 1. & sequentibus.

Marinus
ad Athana-
sium ablegatus.

CONCILIVM APVD S. MACRAM.

SYNODVS QVÆ FVIT ACTA APVD sanctam Macram, in loco qui dicitur ' Finibus Rhenensis parochiæ, tempore Ludouici regis, filii Ludouici Caroli filii, die 1v. Nonas Apriles, anno Christi DCCCXXCI. Ioannis papæ VIII. anno 1x. Ludouici eiusdem regis anno XI.

TITVLI CAPITVLORVM.

- I. *Quod distincta sint potestas regia & auctoritas pontificum.*
- II. *Increpatio torporis & negligentia sacerdotum, ex sancto Gregorio.*
- III. *De honore, cultuque Dei & ecclesiarum.*
- IV. *De suscipienda cura monasteriorum.*
- V. *De rapinis compescendis, & pace restituenda.*
- VI. *Admonitio ad regem, & ministros reipublicæ.*
- VII. *De prestanda per poenitentiam emendatione.*
- VIII. *Ad regem, ut bonos diligat consiliarios.*

PRÆFATIO.

DIVERSARVM prouinciarum episcopi, quorum nomina tenentur subter adscripta, qui ante nequiui- mus, diuersis occupationibus, tam Paganorum infestationibus, quam prauorum Christianorum infestationibus præpediti, nunc anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXI. indictione XIV. 1v. Nonas Apriles, maxima necessitate compulsi, apud martyrium sanctæ Macræ, in loco qui dicitur Finibus Rhenensis parochiæ, in nomine Christi conuenimus. Ab omnibus, qui iuste & pie in communione catholicæ ecclesiæ, quæ Christi est corpus, viuere volunt,

ea quæ sequuntur, Domino mediante, obseruari decernimus, non noua condentes, sed quæ a maioribus nostris secundum tramitem sanctarum scripturarum statuta, & a Christianis imperatoribus ac regibus promulgata, & usque ad hæc periculosa nostræ infelicitatis tempora fuere seruata, quasi lumina in malignorum operum tenebras, quæ excæcant diffidentia filios, deuocamus: vt falce sancti Spiritus, per diuinum ministerium nostri officii, perque regie sollicitudinis potestatem, ac ministros reipublicæ, male pullulantia recidantur, & fructuosa Christianis mentibus inferantur.

CAPITVLA.

I.

Gelasius
epist. 10.

HÆC namque sunt sacerdotalis officii, & regii ministerii. quia sicut in sacris legimus literis, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, & regia potestas. Solus enim Dominus noster Iesus Christus vere fieri potuit rex & sacerdos. Post incarnationem vero, & resurrectionem, & ascensionem eius in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam potestatem sibi vsurpare præsumpsit. sic actionibus propriis dignitatibusque ab eo distinctis, vt & Christiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium rerum cursu regum dispositionibus vterentur: quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incurfibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præfidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus. Et tanto est dignitas pontificum maior quam regum, quia reges in culmen regum sacrantur a pontificibus, pontifices autem

ANNO
 CHRISTI
 881.

a regibus consecrari non possunt: & tanto grauius
 pondus est sacerdotum, quam regum, quanto et-
 iam pro ipsis regibus hominum in diuino redditu-
 ri sunt examine rationem: & tanto in humanis re-
 bus regum cura est propensior, quam sacerdotum,
 quanto pro honore & defensione ac quiete sanctæ
 ecclesiæ, ac rectorum & ministrorum ipsius, &
 leges promulgando, ac militando, a rege regum
 est eis curæ onus impositum. Et legimus in sacris Dent. 17.
 historiis, quia cum sacerdotes in regimine regni
 reges vngabant, & diademata capitibus illorum
 imponebant, legem in manibus eis dabant; vt di-
 scerent & scirent qualiter se & subiectos sibi rege-
 re, & sacerdotes Domini honorare debeant. Legi-
 mus etiam in sacra historia, quia Ozias rex præ- 2. Paral. 26.
 sumpsit incensum ponere, (quod non regii, sed
 sacerdotalis erat ministerii) lepra est a Deo per-
 cussus, & de templo a sacerdotibus eiectus, & in
 domo sua est vsque ad mortem reclusus.

II.

Denique si pro salute regis ac reipublicæ mini-
 strorum, & pro ministerio indignitati nostræ
 commisso, in processu aliqua dixerimus, quæ car-
 nalibus animis valeant displicere, (quia medicus sæ-
 pe, quos leni vnguento medicare non potest, per
 amarum poculum confectionis reducit ad hilari-
 tatem sanitatis) ne dicant de nobis quod dictum
 legimus de sedentibus in cathedra Moysis: *Impo-* Math. 23.
nunt onera grauias & importabilia in humeros homi-
num, digito autem suo nolunt ea mouere, nos prius ver-
 bis sancti Gregorii, ex homilia quam de euange-

Concil. Tom. 24.

PPP

lio tractavit tempore Synodi episcoporum, accusamus: quoniam ad exteriora negotia, partim necessitate barbarici timoris, partim negligentia nostri temporis, dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutem tenemus. Relinquant namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actibus iacent, & correctionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ a cælesti desiderio obdurefcit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriat, quibus quotidie percussioni-

*Iſa. 24.
Oſe 4.*

ANNO
CHRISTI
881.

bus intereat populus, videmus. Cuius hoc nisi nostro præcipue peccato agitur? ecce depopulatae vrbes, euersa castra, ecclesiarum ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt: sed nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Pensemus ergo, qui vnquam per linguam nostram conuersi de peruerso suo opere, nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis auaritiam, quis superbiam declinavit. Hic pastores vocati sumus, & cum ante æterni pastoris oculos venerimus, ibi gregem nostra prædicatione conuersum non ducemus. Sed vtinam, si ad prædicationis virtutem non sufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

III.

De honore & cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitio-
ne regiminis regis nostri consistunt, communiter
verbis eius qui dixit discipulis & apostolis suis, quo-
rum licet indigni vicibus in ecclesia sanguine Chri-
sti redempta fungimur: *Qui vos audit me audit,* LUC. 10.
*& qui vos spernit me spernit: non enim vos estis qui lo-
quimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis,*
domnum nostrum regem monemus, vt sicut tem-
pore antecessorum suorum imperatorum ac regum
excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatae fue-
runt, salua æquitatis ratione ita permaneant; &

Concil. Tom. 24.

Ppp ij

quæ sua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero sub integritate sui seruentur. Et sacerdotes, ac serui & ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuste concurrant.

IV.

Vt missi regii per ciuitates, & singula monasteria tam canonicorum, quam monachorum, siue sanctimonialium, vna cum episcopo parochiæ vnus cuiuscumque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius qui monasterium retinet, vitam ibi degentium & conuersationem inquirent, & vbi necesse est corrigant, & vbi desunt, congruas officinas construere iubeant, & vbi factæ & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum, & vestitum, atque cetera necessaria, pro qualitate & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem superuenientium hospitem, & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent: & thesaurum, ac vestimenta, seu libros diligenter imbreuient, & breues regi reportent. Imbreuient quid vnusquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ suscepit, ibi inuenerit, & quid modo exinde minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Numerum etiam canonicorum, & monachorum, siue sanctimonialium,

ANNO
 CHRISTI
 881.

vniuscuiusque loci describant, & regi referant: secundum qualitatem & quantitatem loci, cum consilio episcoporum & fidelium suorum, vbi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: vbi vero indiscretione praelatorum superfuerit, ad mensuram redigatur. Et qualiter abbatiarum praelati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi regii præceperint, obediunt, regi diligentissime & capitulatim referre procurent.

V.

² Raptores autem, non nostris verbis, sed Christi & sanctorum eius, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, auctoritate ipsius qui nobis licet indignis in apostolis suis dixit: *Quæ cumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*, monemus, & eis verba ipsius Domini inculcamus, quæ, nisi se correxerint, in extremo iudicio audient: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, & cetera, quibus dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit pœnæ non tradita. perpendant quid meretur iniustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptores: *Væ ei qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum*. Densum lutum contra se aggrauare, est terrena lucra cum pondere peccati cumula-

Math. 16.

re. Audiant quid Christus dicat: *Quid prodest ho-*
mini si totum mundum lucretur, anima vero sua detri-
mentum fiat? id est, quid prodest homini, si totum
quod extra se est congregat, si hoc solum quod ipse
est damnat? Audiant quod illa quæ rapiunt in hoc
sæculo deficient, aut in sæculo dimittent, sed se-
cum ad iudicium causas rapinæ, id est damnatio-
nem secum ferent. Audiant quid propheta Isaias
dicit: *Rapina pauperis in domo vestra. & : Causa vi-*
duæ non ingreditur ad eos. & : Non despiciet Dominus
preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemi-
tus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt,
& exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla
enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exau-
ditor non delectabitur in illis. Audiant quia in cuius
domo rapina est, siue in domo corporis, siue in
domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus
sanctus, sed spiritus malignus: & si accedit ad
communionem corporis & sanguinis Christi ante
dignam satisfactionem, non mundatur per illam
communionem a peccato, sed plenius, sicut Iudas,
quando in cœna plenus rapina & iniquitate com-
municare præsumpsit de manu Christi, possessus
est a diabolo. Vnde & suspensus crepuit medius,
& abiit in locum suum, id est, suis meritis acqui-
situm, videlicet in ignem æternum. quia cum intra-
uit sanctus panis in plenum de iniquitate ventrem,
intrauit hostis antiquus, qui dicitur diabolus & sa-
tanus, in crudelem & impiam mentem. Et ille enim,
sicut Iudas tradidit Christum peccatoribus Iudæis,
ita plenus rapinis & iniquitate tradit Christum pec-

Isa. 3.

Ecc. 35.

ANNO
CHRISTI
881.

ANNO
CHRISTI
851.

catoribus membris suis, qui illud inæstimabile Domini corpus violare præsumit. Et væ illi homini, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui infidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo scelere pollutis mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Væ illi homini, de quo Iesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus munera, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cælestibus queri cogitur, quod in cœna discipulis de Iuda dixit: *Ecce, inquit, manus tradentis me mecum est in mensa.* LUC. 22. Et væ illi de quo dicit Paulus apostolus quod quasi speciali privilegio in cœna Domini quando hæc sunt tradita legimus: *Qui cumque manducat panem hunc, aut calicem Domini bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans,* id est non discernens a cibus ceteris, *corpus Domini: sed sic ad mensam Domini accedit sine reuerentia & timore de peccatis suis, sicut lætus accedit, quando socius suus illum plena mensa pascit de rapinis suis. Et quod idem dicit apostolus: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt,* id est moriuntur, *multi.* Hoc monstratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod fit in anima in spiritalibus infirmitatibus atque mortibus omnium irreuerendorum. Hoc enim pascha, quod tunc Dominus in nouo mysterio egit, quotidie celebramus quotiescumque Missam agimus: sicut ipse Ibidem. tunc omnibus episcopis & presbyteris, ac ceteris fidelibus, celebrantibus atque adstantibus ad

i. Cor. 11.

hoc terribile sacramentum, in apostolis suis dixit: *Hæc quotiescumque feceritis, in meam memoriam facietis.* Et potest fieri, vt quidam audientes tale

Ioan. 6.

periculum esse communicare corpori & sanguini Domini, qui non volunt a malis recedere & de præteritis pœnitentiam agere, dicant: Abstinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos a mala operatione. Vnde audiant quibuscumque diabolus ista susurrat, quoniam sicut Dominus dicit de baptismo, quod nullus potest fieri saluus, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: ita de hac sancta communione dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et sicut dixit:

Marc. 16.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, id est, sicut promisit in baptisate, diabolo & eius operibus abrenuntiando, & in Deum fide quæ per dilectionem operatur credendo, hoc est vt in fide & bonis operibus permaneat, & si post baptismum peccauerit, per confessionem & dignam pœnitentiam, illis qui in eum peccauerunt dimittendo, & bonis operibus insistendo, hoc quod male fecit emendet: ita etiam de hac sancta communione dixit:

Ioan. 6.

Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. &: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. &: Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem. &: Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Audiant rapaces & prædatores,

Isa. 33.

quid iterum Dominus per prophetam dicat: *Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Videlicet quia ille

ANNO
 CHRISTI
 881.

ille qui prædatur res pauperum & ecclesiarum ac
 feruorum Dei, prædatur a diabolo, & præda il-
 lius fit. Audiant quid sanctus Paulus apostolus di-
 cat, per quem locutus est Christus, & qui raptus
 fuit vsque ad tertium cælum, & qui raptus fuit in
 paradisum, & audiuit talia secreta verba, quæ non
 licebat homini loqui. Ait namque quia *neque rapa-* 1. Cor. 6.
ces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possi-
debunt. Vnde intendant quale quantumque pecca-
 tum est rapina, quam cum adulterio & homici-
 dio sanctus comparauit apostolus. Item ipse dicit:
Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homi- ibid. 5.
cida est, cum huiusmodi nec cibum sumere Christi di-
scipulo, id est, Christiano, licet ante satisfactio-
nem, id est, correctionem, ac emendationem &
dignam pœnitentiam. Audiant quod sanctus Ioan-
 nes apostolus, electus & dilectus Christi, qui in
 cœna super pectus eius recubuit, talem hominem
 salutare vetat dicens: *Nec Ane ei dixeritis, neque in do-* 2. Ioan. 10.
num receperitis. Audiant quid per prophetam Do-
 minus dicit ad eos qui in medio talium immorantur:
Exite, inquit, de medio eorum, & immundum ne teti- 1. Cor. 6.
geritis, & ego recipiam vos, & habitabo inter vos, & Ier. 31.
ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in filios & filias.
 Nihil enim est aliud quod isti raptores faciunt, nisi
 præcursorio exercitus antichristi, cuius voce dictum
 est: *Non mouebor a generatione & generationem sine* psal. 10.
malo. id est tanta mala faciam in vno loco, vt ante-
 quam ad alium locum veniam, aduentum meum
 ibi habitantes timeant: sed & postea sentient. Et
 Ioannes apostolus: *Nunc, inquit, antichristi multi* 1. Ioan. 2.

Concil. Tom. 24.

Psal. 10.

Psal. 11.

Concilium
Tolet. 1.
Can. 11.

Epist. 1.

Epist. 1.

sunt. Vnde timendum nobis est quod omnis pro-
pter hoc deprecatur ecclesia: *Exurge Domine Deus,*
exaltetur manus tua, id est, ad vindictam, *non ob-*
liuiscaris pauperem populum. & Dominus, qui non
mentitur, repromittit dicens: *Propter miseriam ino-*
pum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit
Dominus, id est, iam iamque in proximo vindictam
exercebo. Audiant raptores, quid de talibus sacri
Canones decernunt: Si quis, inquiunt, de poten-
tibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut reli-
giosum exspoliauerit, & mandauerit ad ipsum epi-
scopus vt eum audiat, & is contempserit: inuicem
mox scripta percurrant per omnes prouinciæ epi-
scopos, & quoscumque adire potuerit, vt excom-
municatus habeatur, donec audiat & reddat alie-
na. Ecce de pauperum raptoribus. Audiant rpto-
res & prædones rerum ecclesiasticarum, quid san-
ctus Anacletus papa, ab ipso beato Petro aposto-
lo presbyter ordinatus, cum totius mundi sacer-
dotibus iudicauit. Dicit namque: Qui abstulerit
aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pa-
ter noster sine dubio Deus est, qui nos creauit, ma-
ter vero nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiri-
taliiter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias &
ecclesiæ rapit, aut aufert, vel fraudatur, homici-
da est, atque homicida ante conspectum iusti iudi-
cis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui,
iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel
res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & vt sa-
crilegus iudicandus est. Et sanctus Urbanus papa
& martyr: Res, inquit, & facultates ecclesiasti-

ANNO
CHRISTI
886

ANNO
 CHRISTI
 881.

cæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac precia peccatorum, atque patrimonia pauperum: si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiae & Sapphiræ, & oportet huiusmodi tradere satanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Et sanctus Lucius papa: Rerum, inquit, ecclesiasticarum & facultatum raptores a liminibus sanctæ ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus: & non solum eos, sed & omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. Et sanctus Augustinus in sermone euangelii sancti Ioannis ita dicit: Fur sacrilegus loculorum sacrorum & dominicorum est Iudas, & qui aliquid de ecclesia furatur & rapit, Iudæ perditio comparatur. Item in sacris Canonibus Spiritu sancto dictatis, & Christi sanguine confirmatis, scriptum est: Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Episcopus autem omnibus se audientibus dicere debet quid sit anathema: Id est, alienatio a Christo & eius corpore, quæ est sancta ecclesia. Et ne desperent tales homines, & in peccato permaneant, ostendere debet episcopus quamdiu duret anathema, id est, quamdiu quisque errorem non corrigit, & digna satisfactione non emendat, vt recon-

Tract. 50. in
 Ioannem.

Concilium
 Gangr.
 Can. 7.

Concil. Tom. 24.

Q99 ij

ciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem, & reconciliationis indulgentiam, in peccatis suis perseverans mortuus fuerit, iam anathema perpetuum illi erit, & peccatum ad mortem, pro quo non dicit apostolus ut oretur.

1. Ioh. 5.

VI.

Regiam vero dignitatem, & ministros reipublicæ, ac cooperatores regii ministerii, episcopali auctoritate & Domini voce monemus, ut semet ipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeant, ut adiutores Dei fieri, & ab ipso & in præfenti sæculo & in futuro adiuuari mereantur: & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, aut gratia, ab statu rectitudinis eos deuiare compellat, quin inter proximum & proximum iuste iudicent: pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum adiutores ac defensores, & sanctæ ecclesiæ vel seruorum illius honoratores iuxta suam possibilitatem fiant: illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrocinis, siue rapinis, communem pacem populi perturbare moluntur, suo studio & correctione sicut decet compescant. Vnde quædam capitula, a præcedentibus imperatoribus & regibus statuta, in vnum collecta subiungere dignum duximus, quæ ita se habent.

EX CAPITVLIS IMPERATORVM ET REGVM.

Lib. II. c. 14.

DE pace in exercitali itinere seruanda vsque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod qui-

ANNO
CHRISTI
881.

cumque auctorem damni sibi præterito anno illati nominatim cognoscit, vt iustitiam de illo quærat, & accipiat. Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, vt vnusquisque cognoscat omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, siue sui sint, siue alieni, vt ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere. ea scilicet conditione, vt pacis violator primum iuxta facinoris qualitatem, siue coram nobis, siue coram missio nostro, dignas pœnas persoluat: & senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, vt nostram iussionem seruaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad eius notitiam peruenerit, eum corrigere sicut decet neglexerit, honore suo priuetur, vt scilicet neuter illorum sine iusta vindicta remaneat.

Ibid, c. 15.

Si quis in exercitu infra regnum, sine iussione dominica, per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fenum tollere, aut granum; siue pecora maiora vel minora, domosque infringere, vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, sexaginta solidos si liber est sit culpabilis, & omnia cimelia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero seruus hoc fecerit, capitali crimini subiaceat, & dominus omnia cimelia restituat, quia seruum suum non correxit, nec custodiuit, vt talia non perpetraret. Quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Vnusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Lib. v. c.
189.

Si quis domum alienam cuiuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abstulerit, aut rapuerit, vel furauerit, secundum legem illi, cuius domus fuerit infracta & spoliata, in triplum componat, & insuper bannum dominicum soluat. Si seruus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vadio pro seruo dare studeat, vsque dum plenam compositionem adimpleat.

Lib. III.
c. 65.

Lib. III. c. 1.

De pace admonemus, vt omnes qui per aliqua scelera rebelles sunt constringantur.

Ibid. c. 66.

Si quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, vel pauerit, aut furauerit, aut cum caballis vastauerit, æstimato damno secundum legem in triplum componat: & si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Seruus vero secundum legem tripla compositione damnum in loco restituat, & pro damno disciplinæ corporali subiaceat.

Lib. VI. c.
96.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, eiusque homini, aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est sexaginta solidos, nobis perfoluat. Postmodum vero a comite ante nos adducatur, vt in bastonico retrusus vsque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam iuxta sacrorum Canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam

1. Cor. 6.

raptores, vt ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non possidebunt*. Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint, grauius inde iudicentur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctæ matris ecclesiæ tales personæ vsque ad satisfactionem ecclesiæ quam læserint, sunt habendæ, atque firmiter denotandæ.

Caroli
Calui
tit. XII. c.
12.

Vnusquisque missus in suo missatico prouisionem habeat, vt si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transferit, aut ibi consistens, vel commanens, rapinas, vel depraedationes, aut talia illicita fecerit de quibus Deus offendi solet, & populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter & veraciter inuestiget, & nobis renuntiet, qualiter inde nos sic ordinemus, vt nec ipsum, nec alium hoc agere delectet.

Ibid. c. 13.

Vt missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri, aut alii quilibet, vicinos suos maiores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando marefcalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos maiores vel minores depraudentur: & si egerint, hoc etiam, vt prædiximus, ve-

ANNO
CHRIST.
886.AN
CHR.
886.

ANNO
CHRISTI
881.

raciter missi nostri inuestigent, & nobis renuntient, vt in seniore hoc sic emendemus quatenus homines suos in potestate habeat, & contenti sint debitis, & indebita iniuste non appetant.

Volumus vt res ecclesiarum, in cuiuscumque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatibus, sine vlla contradictione rectores ipsarum ecclesiarum, sicut tempore domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant. Et quia per vagos, & tyrannica consuetudine irreuerentes homines pax & quies perturbari solet, volumus vt ad quemcumque nostrum talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nisi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum persequantur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur.

Ludouici
Balbi tit.
iii. cap. 7.
& 8.

Similiter & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine a quolibet episcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam poenitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat.

Caroli
Calui tit.
xxvi. c. 5.

Denuntiandum est omnibus, & a missis nostris ordinandum, vt omnes ecclesiæ & presbyteri sub immunitate ac priuilegio, & ordinatione atque dispositione episcoporum singularum parochiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam, & capitularia domni Caroli imperatoris & pii Augusti Hludouici permaneant.

Caroli Calui tit. ix.
cap. 4.

Vt missi nostri diligenter inuestigent cum episcopo, & prælatis monasteriorum, & per fideles & strenuos viros in vnaquaque parochia, de rebus ecclesiasticis in alodem datis, & sicut euidentibus & veris indiciis ac auctoritatibus compererint, diligenter a quo & quibus data sint, & quantum exinde sit describant, & nobis renuntient, vt cum consilio fidelium nostrorum hoc sacrilegium emendare curemus.

Ibid. c. 5.

Vt missi nostri expresse, & cum omni diligentia, cum episcopo & prælatis monasteriorum, per singulas parochias requirant de rebus ecclesiasticis, vnde nonæ & de-

Ibid. cap. 6.

cimæ solui debent, & non soluuntur, vt persolui ab eadem res retinentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur: & prælati ipsius casæ Dei, vnde res esse noscuntur, & ille qui eas detinet, & nonam ac decimam soluere detrectat, simul cum missis nostris ad nostram iubeatur venire præsentiam, vt tunc veritate comperta, & diffinitione decreta, quod rationabiliter inuenerimus inde præcipiamus.

Ibid.

Volumus etiam, vt inuestigent missi nostri, qualiter illi, qui easdem res ecclesiasticas, vnde decimæ dantur, siue non dantur, illas saluas habeant, & in casticiis & in filiis custoditis, vel si terræ ac mancipia inde perdita sint, vel aliquid huiusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem, & omnia per breues renuntient missi nostri.

Ibid. c. 7.

Vt missi nostri per singulas parochias comitibus & reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant, ne malla vel placita in exitibus & atriis ecclesiarum, & presbyterorum mansionibus, neque in dominico, vel festiuis diebus, tenere præsumant: sed comes conuenientem locum consideret & inueniat vbi stationem ad malla tenendum constituat: quia nefas est ibi reos puniri, vbi respectu diuinæ reuerentiæ misericordiam consensu fidelium & decreto prædecessorum nostrorum consequuntur.

Ibid. c. 8.

Vt missi nostri comitibus, & omnibus reipublicæ ministris, firmiter ex verbo nostro denuntient, atque præcipiant, vt a quarta feria ante initium quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, vsque post octauas paschæ, malla vel placitum publicum, nisi de concordia & pacificatione discordantium, tenere præsumant. Similiter etiam a quarta feria ante natiuitatem Domini, vsque post consecratos dies obseruent: nec non in ieiuniis quatuor temporum, & in rogationibus, simili obseruatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

Ibid. c. 9.

Vt missi nostri omnibus per singulas parochias denuntient, quia si episcopus, aut ministri episcoporum, pro criminibus colonos flagellauerint cum virgis, propter metum aliorum, & vt ipsi criminosi corrigantur, cum tali discretione sine vlla occasione indebita, sicut in Synodo collocutum est, & vel inuiti pœnitentiam temporaliter & corporaliter agant, ne aternaliter pereant: si seniores ipsorum

rum

ANNO
CHRISTI
881.

rum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur continere præsumpserint, sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram harmiscaram sustinebunt.

Vt missi nostri omnibus reipublicæ ministris denuntient, vt comes, vel reipublicæ ministri, simul cum episcopo vniuscuiusque parochiæ sint in ministeriis illorum, quando idem episcopus suam parochiam circumierit, cum episcopus eis notum fecerit: & quos per excommunicationem episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate & potestate ad pœnitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant. Ibid. c. 10.

Sciant etiam fideles nostri, quia concessimus in Synodo venerabilibus episcopis, ne super beneficia ecclesiastica, vel præstarias, etiamsi quilibet monasteriorum prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ vlllo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se vnusquisque compescat. Ibid. c. 11.

De vno manso secundum capitulare Augustorum & prædecessorum nostrorum ad ecclesiam dato, nullus census, neque caballi pastus, a senioribus de presbyteris requiratur, sicut in præfato capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac vineolis pro loco sepulturæ ad easdem ecclesias datis, neque de decimis, sicut in Canonibus, & in præfatis capitularibus continetur. Et vbi inuentum fuerit a missis nostris, quod seniores sine conscientia episcoporum presbyteros de ecclesiis eiiciunt, vel in ecclesiis statuunt, missi nostri, sicut in præfatis capitularibus continetur, inde faciant, & episcopi de clericis hominum nostrorum ita faciant, sicut in eisdem capitularibus continetur. Caroli Cal. ui tit. xxxii. cap. ii.

Hoc missi nostri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada vnum diem ad causas audiendas & iudicandas sedere volumus. Comites autem & missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere volunt. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites, eis iustitias noluerint facere.

Concil. Tom. 24.

R r r

Caroli Cal-
uitit. xxxiv.
cap. 3.Tit. xl. iii.
sub finem
cap. 1.

Vt nostri fideles, vnusquisque in suo ordine & statu, ANNO
veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc in- CHRISTI
ante contra legem & iustitiam, vel auctoritatem ac iustam 881
rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut
opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus:
& illorum, scilicet veraciter nobis fidelium, communi
consilio secundum Dei voluntatem, & commune salua-
mentum ad restitutionem sanctæ Dei ecclesiæ, & statum
regni, & ad honorem regium, atque pacem populi com-
missi nobis pertinentem assensum præbebitur: In hoc
vt illi non solum non sint nobis contradicentes & resisten-
tes ad ista exequenda: verum etiam sic sint nobis fideles,
& obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores ve-
ro consilio & sincero auxilio ad nostrum debitum hono-
rem, & ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per re-
ctum vnusquisque in suo ordine & statu suo, principi &
suo seniori esse debet.

VII.

Ecce quæ de rapinis & de raptoribus sanctus
Spiritus per sibi organa digna comminatus est &
decreuit. Ecce quæ antecessores vestri imperato-
res ac reges, in diuersis Synodis ac placitis, confi-
lio episcoporum ac ceterorum fidelium suorum
inde constituerunt. Quæ quomodo de emenda-
tionibus quæ male acta sunt legi per Moysen da-
tæ congruant, qui eam legit intelligit. Et in euan-
gelio legimus dixisse Zacchæum ad Dominum:
Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus:
& si quem defraudaui, reddo quadruplum. Ad hoc
enim aliam medietatem bonorum suorum seruauit.
Et hinc sanctus Augustinus in epistola ad Mace-
donium dicit: *Quod dicis inquit, Sceleris culpam*
cupiunt sibi homines relaxari, & id propter quod
scelus admissum est possidere; pessimum homi-
num genus commemoras, cui pœnitendi medicina

Luc. 19.

Epist. 54.

omnino non prodest. Si enim res necessaria, propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, siue alios patiēdo malos, siue ipse male viuendo, nec aliud habet vnde restituat. Huic certe non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus & negare. Vbi quidem si aliquos sustinet repente cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est vnde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias corporales redhibere compellitur, peccati quo male ablata est pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tamquam pro reis criminum: non ad hoc vt minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem sæuiat. Illud vero fidentissime dixerim, cum qui pro homine ad hoc interuenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adiuuat, ac non potius subuertit atque opprimit. Nolentes autem reddere, quos nouimus & male abstulisse, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diuersitas personarum diuersam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum

perniciem ad maiorem insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis curanda non impeditur, sancti altaris communionem priuamus. Nec interueniendum esse pro aliquo ausim dicere, ut quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat: sed ut remissa iniuria quod iniuriose abstulit reddat, si tamen habet quod abstulit, vel aliud unde illud restituat. Qui vero contra ius societatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppressiõibus, inuasiõibus abstulerit, reddenda potius quam donanda censemus, Zacchæi publicani euangelico exemplo, qui cum hospitio Dominum suscepisset, in vitam sanctam repente mutatus, *dimidium, inquit, rerum mearum do pauperibus, & si cui aliquid abstuli, quadruplum reddo.* Quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem fenore? Omnes igitur nos, & vos, & totius regni populus, recurramus ad conscientias nostras, & quicquid contra voluntatem & mandatum Dei cogitauimus, parabolauimus, & fecimus, per puram confessionem, ac dignos pœnitentiæ fructus, atque sacerdotalem reconciliationem, expurgemus nos a fermento malitiæ & nequitiae: & sicut hortatur nos Spiritus sanctus per Psalmistam, *præoccupemus faciem eius in confessione: procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oves pascuæ eius.*

Luc. 19.

Psal. 94.

2. Mach. 12.

ANNO
 CHRISTI
 881.

ecclesiæ quæ tunc temporis erat, & plures ex suis
 in illo bello ceciderunt. Postquam autem fugatis
 aduersariis ipse Iudas cum exercitu suo ad sepelien-
 da corpora suorum qui in bello ceciderant reuer-
 sus est, inuenta sunt sub tunicis occisorum donaria
 de idololatriis, & manifestum factum est Dei iudi-
 cium quia proinde ceciderunt in bello. Ergo si sub
 tunicis nostris, id est, intra corpora nostra, habe-
 mus conscientiam malam de rapinis, de auaritia,
 quæ est idolorum seruitus, de luxuriis, de inuidia,
 de fraternis odiis, & de homicidiis, de sacrilegiis, &
 de incestibus, & de ceteris criminibus, ac pecca-
 tis, expurgemus illa mala per puram confessionem,
 & per bonam deuotionem, & per lacrymas, & per
 eleemosynas & dignas satisfactiones, & quantocius
 tempus fuerit, faciamus omnes in commune de
 præteritis peccatis, siue manifestis, siue secretis,
 publicam pœnitentiam, & triduanum ieiunium,
 & mundemus nos ab omni inquinamento carnis
 & spiritus, perficientes sanctificationem in timore
 Dei. Quia, sicut sanctus Augustinus dicit exponens
 sententiam Apostoli, peccata siue parua siue magna
 impunita esse non possunt: quia aut ab homine
 pœnitente, aut a Deo iudicante plectuntur: ces-
 sat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat
 humana. Amat Deus pœnitentibus & confitenti-
 bus parcere, & se iudicantes non iudicare. Et post
 ieiunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & profes-
 sionem quod ab istis malis, in quibus hæctenus ver-
 sati sumus, nos de cetero abstinere debeamus, quia
 pœnitentiam vere agere est commissa plangere, &

iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem, accipiamus corpus & sanguinem Christi in remissionem peccatorum nostrorum, vt Deus in nobis habitet, & nos in Deo: quatenus nec inuisibiles, nec visibiles inimici contra nos potestatem habeant. Nam aliter, nec super prauos Christianos virtutem, nec contra Paganos habere poterimus victoriam. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: tantum ex toto corde conuertatur ad Dominum. Veterinosas namque Niniuitarum culpas triduana poenitentia absterfit: & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citius ad precem iudex flectitur, si a prauitate sua petitor corrigatur. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult a se veniam exigere, qui quantum meremur non vult irasci. Hinc etenim per Prophetam dicit: *Innocua me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Ipse ergo sibi testis est qui inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Et sicut per alium prophetam admonet: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Ad Deum quippe corda cum manibus leuare est, orationis studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat timori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Et certa sententia est, quia quos Deus diu vt conuertantur exspectat, non

Ioan. 4.

Luc. 23.

Psal. 46.

Thren. 3.

Ezech. 33.

ANNO
 CHRISTI
 881.

conuersos durius damnat. Et postquam taliter, sicut prædiximus, a peccatis nostris nos & vos mundabimus, de cetero ab eisdem & ab aliis peccatis nos contineamus, ne contingat nobis illud pro-
 uerbum, quod beatus Petrus apostolus de redeun-
 tibus post pœnitentiam ad peccata dicit: *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro lu-
 ti.* Magna est enim contra peccatum pœnitentiæ virtus: sed si quis in eadem pœnitentia perseueret. Nam scriptum est: *Qui perseuerauerit usque in fi-
 nem, hic saluus erit.* Hinc scriptum est: *Qui bapti-
 zatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lau-
 uatio illius?* Mortuum quippe est omne opus per-
 uersum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iu-
 stitiæ non uiuit. Baptizatur ergo a mortuo, & ite-
 rum tangit eum, qui praua opera, quæ se egisse meminit, deplorat; sed eisdem se iterum post la-
 crymas implicat. Animæ itaque cuilibet eiusdem mortui lauatio non proficit, qui hoc iterum fa-
 ciendo quod planxerat, nec per lamenta pœni-
 tentiæ ad rectitudinem iustitiæ exurgit. Et qui-
 cumque tempore pœnitentiæ profitetur ad pristi-
 na peccata se non rediturum, id est, præterita pec-
 cata anathematizat, (quoniam aliter nec a Deo sol-
 uitur, nec sacerdotali ministerio reconciliari po-
 test,) solícite attendat quæ sanctus Gregorius in
 quadam epistola sua dicit. Si qui vero sunt, in-
 quiens, qui dicunt quia compulsus quispiam ne-
 cessitate si anathematizauerit, anathematis vincu-
 lo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christia-
 ni non sunt, quia ligamenta sanctæ ecclesiæ vanis

1. Pet. 2.

Matth. 10.

Ecc. 34.

Lib. 1 x.
 capit. 39.
 Theodistæ.

se æstimant conatibus soluere. Ac per hoc nec ab-
 solutionem sanctæ ecclesiæ, quam præstat fide-
 libus, veram putant, si ligaturas eius valere non æsti-
 mant. Contra quos diu disputandum non est, quia
 per omnia despiciendi & anathematizandi sunt:
 & vnde se fallere veritatem credunt, inde in pec-
 catis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur,
 qui sub nomine Christiano hæc, quæ prædixi-
 mus, aut prædicare audent, aut taciti apud seipfos
 tenere, procul dubio eos & ego, & omnes catho-
 lici episcopi, atque vniuersa ecclesia anathemati-
 zamus, quia veritati contraria sentiunt, & con-
 traria loquuntur. Interest tamen plurimum inter
 eos, qui post pœnitentiam & professionem ad cri-
 minalia & publica peccata redeunt per contem-
 ptum, & in eis perseuerare diligunt, & inter eos,
 qui per fragilitatem in præterita peccata crimina-
 lia vel publica recidunt, & iterum pœnitentiam
 Epist. 54. poscunt: quia sicut sanctus Augustinus dicit, in
 tantum hominum iniquitas aliquando progredi-
 tur, vt etiam post actam pœnitentiam, post al-
 taris reconciliationem, vel similia vel grauiora
 committant: & tamen Deus facit etiam super ta-
 les oriri solem suum, nec minus tribuit, quam an-
 te tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis. Et
 quamuis in ecclesia locus humillimæ pœniten-
 tiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ
 pœnitentiæ non obliuiscitur. Quamuis ergo cau-
 te salubriterque prouisum sit, vt locus illius hu-
 millimæ pœnitentiæ semel in ecclesia conceda-
 tur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis,
 quæ

ANNO
 CHRISTI
 886

quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis constringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod Apostolus ait: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* aut istis exceptis esse diffinitum quod scriptum est: *Beati omnes qui confidunt in eum?* aut ad istos non pertinere quod dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino?*

VIII.

Tandem ad vos, domine rex dilectissime nobis, sermonem conuertimus, quia & in isto temporali regno vos prosperari cupimus, & post istud regnum ad æternum peruenire desideramus. Sicut quidam nostrum ab illis audiuit qui interfuerunt, Carolus Magnus imperator, qui regnum Francorum nobiliter ampliauit, & per annos quadraginta sex feliciter rexit, & sapientia tam in sanctis scripturis, quam & in legibus ecclesiasticis & humanis, reges Francorum præcessit, nullo vnquam tempore sine tribus de sapientioribus & eminentioribus consiliariis suis esse patiebatur: sed vicissim per successiones, vt eis possibile foret, secum habebat, & ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, & quæ siue in die, siue in nocte, de utilitate sanctæ ecclesiæ, & de profectu ac soliditate regni meditabatur, in eisdem tabulis annotabat, & cum eisdem consiliariis, quos secum habebat, inde tractabat: & quando ad placitum suum ve-

Concil. Tom. 24.

SSS

Ecccl. 32.

Prou. 1.

Prou. 11.

niebat, omnia subtiliter tractata plenitudini consiliatorum suorum monstrabat, & communi consilio illa ad effectum perducere procurabat. Et si ille, qui sic sapiens & fortis, & amplitudine regni locuples, & multorum regnorum pacificus dominator, agere studebat, (sequens sententias scripturæ dicentis: *Omnia fac per consilium, & post factum non pœnitebis.* & : *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* & : *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia:*) quid vobis sit agendum attendite, qui adhuc in ætate immatura estis, & tantos participes atque æmulos in ista particula regni habetis, vt nomine potius, quam virtute regnetis. Quæsumus cum consilio & auxilio fidelium vestrorum, eligite qui vobiscum per singulos menses de vtroque ordine consilii maneat, quibus aurem & cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos & Deum timere, & sanctam ecclesiam ac rectores eius secundum sacras leges doceant honorare, & regnum ac fideles vestros secundum voluntatem Domini gubernare, & vestram domum, sicut tempore antecessorum vestrorum fuit, quando bene fuit, illam vobis insinuent ordinare, ne vos illic trahat necessitas, quo ducere non debet voluntas. Quatenus ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludouici non fuerunt, sed moderno tempore impositæ fuerunt, non affligantur: & regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere

possint, & ceteri nobiles homines in regno securi-
tatem habeant, ne per diuersa ingenia a suis opibus
quas habere potuerint dispolientur. Quia postquam
radix omnium malorum cupiditas in regno isto
exarsit, vt nullus, aut pene nullus, honorem aut
aliquod bonum sine precio posset acquirere aut te-
nere, aut securitatem habere, pax & consilium &
iustitia, atque iudicium, sicut necesse fuerat, locum
in isto regno non habuerunt. Et satagite, vt istæ
rapinæ ac deprædationes in isto regno cessent, &
miser iste populus, qui iam per plures annos per de-
prædationes diuersas & continuas, & per exactio-
nes ad Northmannos affligitur, aliquod remedium
habeat, & iustitia & iudicium, quæ quasi emor-
tua apud nos sunt, reuiuiscant, & virtutem nobis
Deus reddat contra Paganos, quia vsque modo
iam ante plures annos locum in isto regno defen-
sio non habuit, sed redemptio & tributum non so-
lum pauperes homines, sed & ecclesias quondam
diuites iam euacuatas habent. Et ideo regium no-
men ad tantam contumeliam & ad tantam breui-
tatem deuenit, sicut multis est notum. & istud re-
gnum, quondam nobile atque amplum, in seipsum
diuisum est: at sicut Dominus dicit, *regnū in seipsum* Math. 11.
diuisum desolabitur, id est, de solo, videlicet de ter-
ra, labitur, id est, ac si de glacie lubricatur; ita vt
non sit quod in proximo est, nisi, vt in psalmo di- psal. 7.
citur, conuersi fuerimus; iam Dominus gladium
suum vibrauit, tetendit & parauit illum, & in eo vasa
mortis effecit. Timete sententiam, quam scriptura
dicit quæ non mentitur: *Væ terræ cuius rex iuuenis* Ecccl. 10.

Sap. 4.

est, & cuius principes mane comedunt. Et attendite, quia non detestatur scriptura aetate iuuenem, sed moribus, & vita, atque stultitia, quæ nulla consilii grauitate deprimuntur. Quod alibi sanctæ scripturæ sententiæ monstrant dicendo: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Hinc est ergo, quod ad

Num. 11.

Moysem Dominus dicit: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint.* In quibus non aliud quam senectus mentis requiritur, cum tales iubentur eligi qui senes sciuntur. Si enim senectus in eis corporis quæreretur, a tantis sciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur, *quos tu nosti quod senes populi sint*, profecto liquet quia senectus mentis, non corporis eligenda denuntiatur. Talium quippe senum

3. Reg. 12.

sicut scriptura demonstrat, consilium Roboam filius Salomonis respuit, & huiusmodi iuuenum consilium secutus, maximam partem regni paterni sua negligentia perdidit. Cui Dominus propter merita Dauid aui sui paruum regni particulam reseruauit. De eo quod scriptum est: *Væ terræ, cuius principes mane comedunt*, non de necessaria, sed de voluptuosa comestione dicit scriptura, sicut demon-

Ecc. 10.

strat Apostolus dicens: *Carnis curam ne feceritis in desideriis vel in concupiscentiis.* Quos enim a cura carnis in concupiscentiis refrenat, in necessariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus vestris, per se loquatur in cordibus vestris.

Rom. 13.

in concupiscentiis refrenat, in necessariis quoque concedit. Deus omnipotens, qui per nos hæc loquitur in auribus vestris, per se loquatur in cordibus vestris.

ANNO
CHRISTI
881.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Finibus Rhemensis parochia.*] Hodie *Fimes* vocitant, celebre opidum martyrio & cultu sanctæ Macræ virginis. Olim *Fines* dicebant, quia in finibus pagi Rhemensis & Sueffionici. Itinerarium vetus. *Augusta Suefforum. Fines. Duocortorum Rhemorum.* Synodi ergo apud martyrium sanctæ Macræ plures habitæ memorantur. Huius autem, in qua versamur, meminit Hincmarus epistola III. capite v. XI. & XXXVII. item epistola IV. capite I. & XVII. & aliis locis. Meminit etiam epistolæ, quæ non exstat, ab hac Synodo directæ ad Ludouicum regem in epistola quam eidem regi scripsit pro electione episcopi Beluacensis.

* *Raptores autem.*] Hincmarus epistola IV. capite XVII. *De rapinis compescendis, & pace restituenda, ex sacris scripturis, ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitutionibus, sufficienter ex synodali Conuentu apud martyrium beate Macræ nuper habito collecta fratri huius regis nostri nuper defuncto per episcopos misimus.*

VITA MARINI PAPÆ I.

ANNO
CHRISTI
882.

QVI PERPERAM
MARTINVS II. NOMINATVR.

MARINVS Galleſio opido oriundus, poſt triduum ab obitu Ioannis VIII. Kalendis Februariis vnanimi conſenſu totius cleri, non ex diacono ſed epifcopo electus eſt pontifex anno Domini 882. tempore Caroli III. & Baſilii imperatoris. Sedit annum vnum & dies viginti. Hic dum ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis eſſet, miſſus eſt cum Donato atque Leone Conſtantinopolim ad inſinuandam Photio anathematis ſententiam, qua a Nicolao papa percuſus erat. Cum Donato & Stephano tempore Hadriani II. iterato munere legationis apoſtolicæ functus, Conſtantinopoli Photium depoſuit, Ignatium reſtituit, atque ſacroſanctæ œcumenicæ Synodo octauæ præſedit. Bulgari eum ſibi epifcopum dari apud Hadrianum II. inſtiterunt; ſed non impetrarunt. Creatus a Ioanne pontifice epifcopus, tertiam legationem obiturus, tertio miſſus eſt Conſtantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Petrum, Paulum & Eugenium tres ſedis apoſtolicæ iſtuc pro Photio reſtituendo ad Synodum ablegatos facta

Quæ ſequuntur vitæ pontificum, ex cardinalis Baronii annalibus aliisque horum ſæculorum ſcriptoribus ſunt collectæ per Scuerinum Binium. Marinus quando pontifex factus? Ante pontificatum quid geſtum ab eo?